Königliches Gymnasium zu Conitz

Schuljahr 1883/84.

# Dreiundsechzigster Jahresbericht

von dem

Direktor des Gymnasiums

Prof. Dr. Robert Thomaszewski.

Inhalt: 1. De translationibus Taciteis von dem Gymnasiallehrer Dr. Kitt.
2. Schulnachrichten von dem Direktor.

Conitz, 1884.
Buchdruckerei von Fr. W. Gebauer.

1884. No. 33.

# De translationibus Taciteis.

De Taciti scribendi genere in universum disputare supersedeo, praesertim cum, quae Haasius, cui viro illustrissimo praeceptorique meo dilectissimo hoc opusculo pretia docendi referre conabor, Boetticherus, Draegerus de brevitate, gravitate, viribus ac nervis dictionis Taciteae pluribus sunt persecuti, ea vehementer maxima ex parte comprobem atque ex animi mei sententia subscribam. Neque minus, quae Draegerus ea qua par est diligentia maximaque animi sagacitate in eum librum contulit, quem inscripsit: Ueber Syntax und Stil des Tacitus, Leipzig, 1868, quaeque in editione sua ubique annotavit, cum recta ac vera mihi esse tum ingeniose dicta videntur; quare illum ipsum locum missum facio meque statim ad id, quod mihi ipse proposui, converto. Quod enim minus iusto minoreque studio translationes dictionesque Taciteas adhuc illustratas et perquisitas esse puto, ideo eam rem suscepi et pro viribus praestare audebo. Sed priusquam ad rem ipsam me conferam, hoc monendum esse puto: eos vehementer errare, qui censeant, Tacitum de industria a vulgari dicendi consuetudine recessisse et poetarum quasi scrinia expilasse. Taciti orationem vehementer differe et toto tanquam coelo distare a sermone classicorum, qui vocantur, ut Ciceronis, Caesaris, Livii non denego; sed suae quisque aetatis est alumnus, neque fieri potuit, quin Tacitus a prima pueritia omnibus liberalibus optime institutus artibus, qui ipse carminibus condendis operam dedisset, multa non modo ex poetis ut aequales hauriret sed etiam partem sui redderet. An putas, poetas aureae quae vocatur aetatis nihil ad sermonem urbanum immutandum atpue expoliendum valuisse? Mihi quidem ipse Cicero videtur, si post Augustum nedum post Traianum fuisset, latinitatem deprompturum fuisse longe aliam. Quotusquisque nostrum nihil Schillero, Goethio, Lessingio, aliis debet, quotusquisque non multa sibi assumpsit ex scriptis eorum atque arrogavit? Proinde mirari desinamus sermonem scriptorum decursu temporum esse immutatum atque inflexum, praesertim cum scire non possimus, quot quantaque poetae ipsi ab urbano sermone mutuati sint, atque — novissima quaeque maxime delectant. Lingua enim omnium gentium validarum ac potentium est tamquam arbor frondosa mirabili proceritate, quae novos semper et pulchriores ramos agit novamque fert frondem, donec inest in ea vigor, robur, succus. Sed ut revertar ad rem ipsam, primum mihi videtur esse explanandum atque explicandum, quid sit translatio, quam Graeci vocant μεταφοράν. „Transfertur ergo, inquit Quintilianus, (Inst. orat VIII, 6, 5) nomen aut verbum ex eo loco, in quo

proprium est, in eum, in quo aut proprium deest, aut translatum proprio melius est. Id facimus, aut quia necesse est, aut quia significantius est, aut, ut dixi, decentius. Ubi nihil horum praestabit, quod transferetur, improprium est."

Infra enucleat et describit Quintilianus singula genera translationum, ut si (§ 10) „inanima pro aliis generis eiusdem sumuntur, aut pro rebus animalibus inanima, aut nomen pro nomine ponitur, *μετωνυμία* quae graece vocatur etc." Cui loco conferenda sunt ea, quae Cicero de translatione dicit. (De oratore III, § 155 sqq.)

Fit igitur translatio, cum ex alio genere verbum quoddam aut nomen in aliud genus ita transfertur, ut sensus eorum, qui audiunt vel legunt, iucunde moveantur et venustate imaginis cuiusdam, quam vident tanquam mentis oculis, delectentur. Atque in hoc meo opusculo eam viam ingressus sum, ut primum doceam,

A. quas res inanimas Tacitus posuerit pro animatis. Et inest in eo translationum genere mirifica quaedam vis; nam res inanimae tanquam artus movere et brachia extendere incipiunt et pro vivis agere.

B. Tum exponam et exempla enumerabo, in quibus Tacitus rebus abtractis pro concretis usus est.

C. Denique enumerabo et explicabo dictiones, quae recedunt a vulgari dicendi consuetudine, quoad in iis insunt nova species atque visi imago.

## A. Quas res inanimas Tacitus posuerit pro animatis.

I. Cum verbis coniunctae.

In enumerandis locis ordinem temporum servavi, quibus libelli et libri a Tacito editi sunt, ut a dialogo de oratoribus incipiam, quamquam non sum nescius dubitari, utrum dialogus genuinus sit necne. Una ex thesibus, quas dissertationi inaugurali meae affixi, haec fuit: „Quaestionem, utrum sit dialogus de oratoribus Tacito vindicandus necne, in dubio remanere." Si attinet, quid nunc, cum ex omnibus partibus sermonem Taciteum perquisivisse mihi videor, de ea re sentiam, proferre, in eorum sententiam concedo, qui Tacito dialogum assignant, id quod occasione data fortasse pluribus persequar.

Atque priusquam singulos locos enumerabo, hoc mihi videtur esse monendum. Minime miramur et maxime est secundum naturam, si cui eae res inanimae animatae videntur, quae sua ipsarum specie et motu similitudinem quandam sive animalis sive hominis prae se ferunt, ut navis, ballista, aries, qui habet ex similitudine actionis nomen, alia; ea igitur exempla primo loco enumerabo; historiarum libros signavi numero arabico, annalium romano.

§ 1. classis accelerat. 2, 14;

navibus, quae Agrippinam vehebant. II, 79.

§ 2. Partes corporis, motus animi, actiones, virtutes, vitia hominum vel animalium, quae denique iis propria sunt, pro animatis ipsis posita: aures tuae respuant, (praeterea animadverte verbum respuendi, quod maximum taedium indicat.) Dial. 9; quos (oratores) eorundem hominum aures agnoscere ac velut coniungere et copulare potuerunt. D. 10; I. 4;

et novissima in luce desideravere aliquid oculi tui. Agr. 45; oculos vestros interrogate Agr. 34; otiosae porro armatorum manus facile lasciviunt G. 44; (manus non pro copiis positae sunt h. l. sed propria significatione); nostrae duxere Helvidium in carcerem manus. Agr. 45; vena gignit aurum. G. 5; lecta corpora eum comitabantur. 2. 11. Etiam hos loces addo, quamquam non nescio eos esse alius generis: magni artus Germanicam originem adseverant; Silurum colorat vultus — fidem faciunt. Agr. 11.

comitante opinione Britanniam ei provinciam dari. Agr. 8. Eodem modo usus est Tacitus his substantivis:

exspectatio, I, 17; industria XVI, 18; sententiae I, 32; II, 36; consensus I, 30; recordatio I, 44 conscientia Agr. 38; temeritas 2. 16; reputatio 2, 38; oblivio II 62; 4, 9; Arg. 46; memoria 4, 63; experientia docuit 5, 6; ratio G, 45; pietas 1, 83; Vide porro:

nec nullum in barbaris saevitae genus omisit ira et victoria. Agr. 16;

eadem illos deum ira, eadem hominum rabies — in discordiam egere. 2, 38;

ira in Flavianum incubuit 3, 10;

legatorum ius ante ipsa patriae moenia civilis rabies usque in exitium temerasset. 3, 80

qualem (sermonem) ira et dissimulatio gignit, II, 57;

quos conscientia defectionis et proprius ex legato timor agitabat. Agr. 16.;

praecesserat terror Agr. 38;

consumpseritne vocem eius instans metus 1, 42;

quamqnam omni comitate exceptos subitus pavor terruit 1, 63;

eadem formido provinciam — ad Vitellium vertit. 1, 76;

donec sidente paullatim metu. 2, 15;

cum augeret stragem trepidatio. 2, 22;

cum dispersos nec usquam validos pavor fugientium abriperet. 2, 26;

legatum irae militum inconsultus pavor obtulit. 2, 44;

tanquam nimius pavor conscientium argueret. 3, 10;

quos n. r. suus quemque impetus vel pavor contraheret diduceretve. 3, 25;

neque — metus futuri neque condicio praesens sinebant. 4, 65;

redituram in animos formidinem, fugam famemque ac totiens captis precariam vitam. 4, 76;

circumsteterat Civilem et alius metus. 4, 79;

quos metus atque odium mutare sedes perpulerit, 5, 2;

metus atque usus pleraque monstravere, 5, 12;

pavidos et conscientia vaecordes intrat metus l, 38; cf. I, 43: quos iam pudor et gloria intrat. ll, 2;

mox subiit pudor. lll 54; nos pudor, pauperes necessitas, divites satias in melius mutet;

qui (metus) exercitam quoque eloquentiam debilitat. lll. 67;

cf. XVl, 26: pudor cepit Neronem. cf. 4, 72.

Sed satis locorum laudatorum; sufficit monuisse Tacitum eodem modo usurpasse haec substantiva:

spes 2, 2; 2, 80; ll, 36; studia D. 39; 2, 30; 5, 1; lll, 4; lll, 32; cupido 2, 38; 3, 4; ll, 62; gaudium 2, 42; ardor 2, 46; vaecordia 1, 32; invidia 1, 41; discordia 1, 54; D. 41; 4, 7; spes 5, 26; 5, 1; securitas Agr. 3; favor ll, 44; aviditas l, 65; licentia 1, 77; 1, 30; lll, 36; cura ll, 40; lll, 54; alienatio (mentis) ll. 43; favor ll, 44; satias lll, 30; patientia XV, 7; impetus 3, 27; dolor 3, 14; misericordia 2, 70; cura lll 54.

Quod attinet ad virtutes et vitia, liceat mihi nonnullos totos locos eosque significantes afferre:

ut etiamsi nostra iudicia malignitas et invidia tardaverit. Dial. 23;

cuius probatis spectatisque moribus omnis eiusdem familiae suboles committeretur. D. 28

impudentia inrepit et sui alienique contemptus. Dial. 29;

iam vero propria et peculiaria huius urbis vitia paene in utero matris concipi mihi videntur histrionalis favor et gladiatorum equorumque studia. ibid;

nam multum interest, utrumne de furto aut formula et interdicto dicendum habeas, an de ambitu comitiorum, expilatis sociis et civibus trucidatis, quae mala — ingentem eloquentiae materiam subministrant. Dial. 37;

cum clementia cognoscentis periclitantibus obviam eat. Dial 44;

quotiens magna aliqua ac nobilis virtus vicit et supergressa est vitium parvis magnis que civitatibus commune, ignorantiam recti et invidiam. Agr. 1;

nisi prudentia matris incensum et flagrantem animum coercuisset. Agr. 4;

nec illi — aut facilitas auctoritatem aut severitas amorem deminuit. Agr. 9;

mox segnitia cum otio intravit. Agr. 11;

ignoscere vitiis blandientibus. Agr. 16;

ratio et constantia ducis transvexit. Agr. 18;

et si virtus exercituum et Romani nominis gloria pateretur. Agr. 23;

cf. Cicero, de oratore lll, § 95: patitur enim et nostra lingua et natura rerum;

Cic. d. or. 97: ingenia me hortantur vestra et aetates;

obsequiumque ac modestiam eo laudis excedere. Agr. 42;

donec aetas separet ingenuos, virtus agnoscat. Germ. 20. cf. 1, 63;

irrumpet adulatio, blanditiae, pessimum veri adfectus venenum, sua cuique utilitas. 1, 15;

quem (Neronem) sua immanitas, sua luxuria cervicibus publicis depulerunt. 1, 16;

infecit ea tabes — motas iam mentes. 1, 26;

vitia — evertere imperium. 1, 30;

eoque plus formidinis adferebant falsae virtutes et vitia reditura. 1, 71;

aemulatio depulerat segnitiam. 2, 4;

sed Corsicam prope adflixit — procuratoris temeritas. 2, 16;

vix credibile memoratu est, quantum superbiae secordiaeque Vitellio adoleverit. 2, 73;
quae (odia) male dissimulata pravitas — auxerat. 2, 92; cf. 2, 100;
et festinatio atque aviditas praepediebant. 3, 50;
ita flagitiis poenitentia fuit. 3, 51;
saevitiam Neronis per eiusmodi imagines inlusisse. 4, 8;
invenit etiam aemulos infelix nequitia. 4, 42;
deterruit plerosque provinciarum aemulatio. 4. 69;
blandiente inertia. 5, 4;
virtus seu fraus eadem Inguimero effugium dedit. II, 17;
mancipii unius audacia — discordiis armisque civilibus rem publicam perculisset. II, 39;
si quos propinquus sanguis aut fides sua patronos dedit. III, 12;
pro modestia ac pudore ambitio et vis incedebat. III, 26; cf. III, 36;
praevalida et vitia adulta. III, 53;
etiam gloria ac virtus infensos habet. IV, 33;

Quibuscum locis conferendi sunt hi:
iedustria. XVI, 35. lentitudo. XVI, 35;
Iam sequunter facta actionesque hominum, quae personarum partes suscipiunt:
seditio sine sanguine stetit. Agr, 16;
bellum aperuit reges. Germ. 1;
neque quemquam saepius quam Verginium omnis seditio infestavit. 2, 68;
adulta sediito. 1, 31;
facta parem invidiam adferebent. 1, 7;
utque pravis dictis factisque ex posteritate et infamia metus sit. III, 65;
et finita Iuliorum Claudiorumque domo optimum quemque adpotio inveniet. 1, 16;
crebrae ab Othone ad Vitellium epistulae offerebant pecuniam et gratiam et quemcunque quietis locum prodigae vitae legisset. 1, 74;
donec missae a Fabio Valente epistulae demerent metum. 2, 54;
recitatae pro contione epistulae addidere fiduciam. 3, 9;
cuius eventum litterae Primi Antonii docuere. 4, 31;
lectae deinde epistulae — suspiciones militum movere, 4, 32;
quantumque illis roboris discrimina et labor, tantum his vigoris addiderat integra quies et inexperti belli ardor. 2, 4;
ut discretus labor fortes ignavosque distingueret. 3, 27;
ea ultio — senatum in studio diduxerat. 4, 6;
plurimum terroris intulit caedes Calpurnii. 4, 11;
eccivit ea caedes Bructeros. I. 51;
quorum cupiditates externis quoque bellis inexplebiles nulla unquam civilis victoria satiavit. 4, 38;

Sariolanum et recens crimen urgebat. 4, 41;
reconciliavit paulisqer studia patrum habita in senatu cognitio secundum veterem morem. 4, 45;
Cestum Gallum — varia proelia ac saepius adversa excepere. 5, 10;
quid invidiosis et excedentibus modum defensionibus, cum clementia cognoscentis obviam periclitantibus eat? Dial. 41;
Defensio in ceteris trepidavit. lll, 14;
crescit invalida coniuratio. 1, 33.
Neque minus res, quae hominibus propriae sunt, personae munere funguntur: pacis interfuit. 1, 1;
quoque notabilior paupertas et angustiae rerum nascentes eos circumsteterunt. Dial. 8. [fortasse nostrum: Armut und Dürftigkeit standen bei ihnen Pate.]
Pisonis supremam voluntatem paupertas firmavit. 1, 48;
Nihil aeque exercitus nostros quam egestas copiarum fatigabat. 4, 35;
obsessos hinc fides, inde egestas inter decus ac flagitium distrahebant. 4, 60;
sed nihil aeque quam inopia aquae fatigabat. 5, 3;
si ita res familiaris exigat. Dial. 9;
Mucianum — magnificentia et opes et cuncta privatum modum supergressa extollebant. 2, 5;
auctu imperii adolevisse etiam privatas opes. ll, 33;
Similis eloquentiae condicio; nam quo saepius steterit quamquam in acie, quoque plures et intulerit ictus et exceperit, quoque maiores adversarios acrioresque pugnas sibi ipsa desumpserit, tanto altior — in hominnm ore agit. Dial. 37;
quem contractum (exercitum) ex diversissimis gentibus ut secundae res tenent, ita adversae dissolvent. Agr. 32;
secundae res acrioribus stimulis animos explorant. 1, 15;
quos adversa non mutaverant. 3, 41;
res adversae discordiam peperere. 4, 37;
insignis nobilitas aut magna patrum merita principis dignationem etiam adulescentulis adsignant. Germ. 13;
quos nobilitas aut opes aut aliqua insignis claritudo rumoribus obiecerat. 1, 85;
cui [militi] eadem munia inter paucos periculaque et labor crebrius redibant. 2, 69;
Valentem e gravi corporis morbo tum primum adsurgentem infirmitas tardabat. 2, 99:
Sub idem tempus Iuliae Augustae valetudo atrox necessitudinem principi fecit festinati in urbem reditus. lll, 64;
non dignitas, non aetas protegebat. 3, 39; cf. l, 46: fessa aetate; cf. ll. 43; lll, 32;
quem dignitas fuga impediverat. l, 39;
seu felicitas in tali ingenio avaritiam, superbiam ceteraque occulta mala patefecit. 3, 49;

verba vocesque duos testes habebant. 3, 65;
non vox et mutui hortatus iuvabant adversante unda l, 70;
gemitus ac planctus etiam militum aures oraque advertere. l, 40;
ut te inauditum et indefensum planctus Agrippinae ac vulgus imperitum primo rumore rapiant. ll, 77;
erumpebant questus. ll, 82;
hoc egisse secretos Augustae cum Plancina sermones. ll, 82;
posse enim eodem Flacco internuntio sermones commeare. ll, 28; cf. IV, 31: eluctantium verborum;
manebant etiamtum vestigia morientis libertatis. l, 74;
illos primos statim aspectus obstupefecerat. 4, 46;
id solum religio adnuere et prioris templi magnificentiae defuisse credebatur. 3, 53;
Audita — mors Vitellii duplicaverat bellum. 4. 54;
quem motum Caesaris mors diremit. 5, 9;
si mors Germanici Syriam aperuisset. ll, 70;
Veledae auctoritas adolevit. 4, 61; cf. l, 46: nondum adulta auctoritate.
ducemque terruit dira quies (somnium). l, 65; cf. ll, 14: Nox eadem laetam Germanico quietem tulit.
quam supra leges amicitia Augustae extulerat. ll, 34;
si quos propinquus sanguis aut fides sua patronos dedit. lll, 12;
nam a legibus delicta puniri. lll, 69.
dolus intervalla scelerum poscebat. IV, 3;
et huic negatus honor gloriam intendit. IV, 26;
ea aetas tua, quae cupiditates adolescentiae iam effugerit. 1, 15;
mox mitigavit ratio et aetas (incensum es flagrantem animum). Agr. 4;
donec exsanguis senectus tam durae virtuti impares faciat. Germ. 31;
ut nec mea senectus conferre plus populo Romano possit quam bonum successorem, nec tua plus iuventa quam bonum principem. 1, 16;

§ 3. Iam sequuntur res positae pro personis, quae iis insunt, terrae, quas incolunt, tempora, quibus fuerunt:

Iam vero contiones assiduae — quantum ardorem ingeniis, quas oratoribus faces admovebant! Dial. 40; cf. ll, 40: iam in urbe clandestini coetus celebrabant.
donec insidiae coorerentur. 2, 24;
dein Pannonicae Alpes praesidiis insessae nuntios retinebant. 2, 98;
nam classis Othoniania vaga, dum — Intemelios — hostiliter populatur, matrem Agricolae in praediis suis interfecit. Agr. 7; insulam ut vires rebellibus subministrantem. Agr. 14;
iam Misenensem classem et pulcherrimam Campaniae oram descivisse. 3, 60;
sexcentesimum et quadragesimum annum urbs nostra agebat. Germ. 37;

cf. 3, 34: sepultae urbis; 3, 79: tremere urbem; 4, 72: stare in confinio Germaniae integram sedem spoliis exercituum et ducum caedibus ovantem; IV, 15: decrevere Asiae urbes; ornatum ipsius municipia et coloniae in superbiam trahebant. 2, 20; ac pleraque municipia et coloniae aemulabantur. 2, 62;
Britannia servitutem suam quotidie emit, quotidie pascit. Agr. 31;
quos sibi Caledonia viros seposuerit. ibid;
cf. Illyricum turbatum. 1, 2; dum Galliae trepident, dum Hispaniae cunctentur. 1, 62; quod (bellum) longa concordia quietus Oriens tunc primum parabat. 2, 6; Achaia et Asia falso exterritae. 2, 8; Hispanias armis non ita redundare, provinciam Narbonensem incursu classis et adverso proelio contremuisse. 2, 32; iisdem diebus accessisse partibus utramque Mauretaniam. 2, 58. Sed longum est omnes eiusmodi enumerare locos; confer praeterea: 2,73; 3, 35; 3, 44; 3, 70; 3, 46; 4, 17; 4, 28; 3, 59; 3, 77; 4, 72; I, 57, II, 5; III, 38; Germ. 37.
Imminere provinciae Narbonensi, in verba Vitellii adactae, classem Othonis trepidi nuntii — attulere. 2, 14; provinciam Narbonensem incursu classis et adverso proelio contremuisse. 2, 32; cf. 2, 84; 2, 97; 3, 38; IV, 15;
ne nostris quidem temporibus quamquam incuriosa suorum aetas omisit. Agr. 1;
Insignem illa die virum Sempronium Drusum aetas nostra vidit. 1, 43;
quem vidit sequens aetas praepotentem. IV, 31;
hinc Othonem posteritas aestimet. 2, 47;
Sed et ipsa tempora, annus, dies personarnm partes agunt:
cum praesertim centum et viginti annos ab interitu Ciceronis in hunc diem effici ratio temporum collegerit. Dial. 24;
haesitationem attulit tempus. 1, 39;
quae tempus monebat. I, 5;
sic temporibus rei publicae postulantibus. III, 34;
tertius expeditionum annus novas gentis aperuit. Agr. 22;
proximus annus civili bello intentus. 5, 10;
Idem annus novas caerimonias accepit. I, 54;
Sequens annus Tiberium tertio, Germanicum iterum consules habuit. II, 53;
quoniam Tiberio — initium annus ille attulit. IV, 6; cf. IV, 14 et 15 et 23;
is primus dies Othonianas partes adflixit. 2, 33;
diebus, qui cognitionem intervenerant. III, 23;
lux reddidit terram. I, 70; cf. 4, 29;
Sed aestate iam adulta. II, 23;

§ 4. Iam vero non est mirandum, a veteribus quasdam res non solum personis, sed, qua erant religione, diis ipsis adnumerari, quas nos inanimas esse putamus.
gignit et Oceanus margarita. Agr. 12; quas (beluas) Oceanus gignit. G. 17;
hinc victus Oceanus militari iactantia compararentur. Agr. 25;

nusquam latius dominari mare. Agr. 10;
inritabat quin etiam Batavos Transrhenanosque Padus ipse. 2, 17;
qui (rivus) incerto alveo et praecipitibus ripis fugam impediebat. 3, 17;
quin ipsum Tiberim nolle prorsus accolis fluviis orbatum minore gloria fluere. 1,79; cf. 1, 86
namque Rhenus — servat nomen et violentiam cursus, qua Germaniam praevehitur II, 6;
gliscentem in dies famam fors discussit. 2, 8; anceps proelii fortuna, quamvis prospero fine equites equosque adflictaverat. 3, 19; ea necessitas seu fortuna lapsas iam partes restituit 3, 17; initia bellorum civilium fortunae permittenda.3, 60; quae profona foedaque in usum necessitas vertit. 4, 60; cetera fors regit. I, 49; quam quem futurum prinipem fortuna in occulto tenebat. III, 18; parantibus fatis. 2, 69; urgentibus fatis. G. 33; et obsequia meliorum nox abstulerat. 1, 80; Titianum et Celsum nox iuvit. 2, 44; cf. 3, 23; adulta nocte. 5, 20; ambiguum proelium nox diremit. quippe omnem pudorem nox ademerat. 4, 36; quos simul vescentis dies, simul quietos nox habuerat. I, 41; nox demum inclinantis iam legiones adversae pugnae exemit I. 64; nox eadem laetam Germanico quietem tulit. II, 14; iuvat crudelitatem nox II, 82; quae venti et fluctus — gravia tamen et saeva damna intulissent. II, 26; sola terrae seges imperatur. Germ. 26; plurimum hiems occupat. Germ. 22; fama in totam urbem penetrat Dial. 10; haud semper errat fama; aliquando et eligit. Agr. 9; augebat miserationem constans rumor veneno interceptum. Agr. 43; et superesse adhuc Herculis columnas fama vulgavit Germ. 34; cf. 1, 85; 2, 42; 2, 78; 3, 75; 3, 78; 4, 34; 4, 54; I, 5; II, 55; II, 77.

§ 5. Adhuc studui demonstrare in iis rebus, quas Tacitus personarum loco posuit, facultatem quandam vel similitudinem inesse personae, sed ea ratio me in his exemplis, quae iam enumerabo, plane destituit; omnia enim substantiva fere apud Tacitum personae vicibus fungi videntur posse:

Tum Secundus „nihilne te", inquit, „Materne, fabulae malignorum terrent . . .? Dial. 3;
Adeo te tragoediae istae non satiant. . . cum te tot amicorum causae, tot coloniarum et municipiorum clientelae in forum vocent. ibid. Nam carmina et versus . . . neque dignitatem ullam auctoribus suis conciliant neque utilitates alunt. Dial. 9;
quae (aera et imagines) etiam me nolente in domum meam irrumpunt. Dial. 11;
Nemora et luci et secretum ipsum — tantam mihi adferunt voluptatem. Dial. 12; cf. III, 54; nostra nos scilicet nemora nostraeque villae tuebuntur;
licet illos certamina et pericula sua ad consulatus evexerint. Dial. 13; hos et praeturae et consulatus vocare ultro videbantur. Dial. 36; cf. 2, 78: sed primo triumphalia et consulatus et Iudaeicae victoriae decus implesse fidem ominis videbantur; cf. 2, 24: ne omne belli decus illuc concederet; quae mala . . . . ingentem eloquentiae materiam subministrant. Dial 37; cf. 4, 54; postquam longa temporum quies et continuum populi otium et adsidua senatus tranquillitas et maxime principis disciplina ipsam quoque eloquentiam sicut omnia pacaverat. Dial. 38; quantum virium detraxisse orationi auditoria et tabularia credimus. Dial. 39; et civilium armorum interventus praebuit iustam segnitiae excu-

sationem. Agr. 16; nam Britannorum gladii sine mucrone complexum armorum et in arto pugnam non tolerabant. Agr, 36; non casus neque fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit. G. 7; nisi quod signum ipsum in modum liburnae figuratum docet advectam religionem. Germ. 9; diversitas supplicii illuc respicit. Germ. 12; sepulcrum caespes erigit. Germ. 27; contra Longobardos paucitas nobilitat. Germ. 40; atque omnem potentiam ad unum conferri pacis interfuit. 1, 1; cf. IV, 32: immota quippe aut modice lacessita pax; tonitrua et fulgura et caelestes minae ultra solitum turbaverant. 1, 18; et visa inter temulentos arma cupidinem sui movere. 1, 80; cf. 4, 20: sin arma occurant. Prodigia insuper terrebant. 1, 86; multos dulcedo praedarum stimulabat. 2, 7;

Veterem .... discordiam bellum accenderat. 1, 65;

Aperuerat Italiam bellum. 2, 17; cf: aperiet et recludet contecta et tumescentia victricium partium vulnera bellum ipsum. 2, 77; sed invisum .... expositumque ad invidiam Marcelli nomen irritaverat Caecinam. 2, 53; cf. II, 44;

Haud proinde id damnum Vitellianos in metum compulit quam ad modestiam composuit 2, 27; cf: quae modica sed crebra damna famam victoriae nuper partae lacerabant. 4, 79; addiderat huic terrorem atque odium caedes Galbae. 2, 31; atque illum supremas iam curas animo volutantem repens tumultus avertit. 2, 49; recursabant animo vetera omina. 2, 78; iuvit locus 3, 17; cf. 3, 60: locus late prospectans; et propinqua Cremonensium moenia quanto plus spei ad effugium, minorem ad resistendum animum dabant. 3, 18; simul iuncta turris ictibus saxorum cessit. 3, 29; propinqua muris tecta et altitudinem moenium egressa. 3 30 cum omnia sacra profanaque in igne considerent. 3, 33; ceterum assidere sepultae urbis ruinis noxia tabo humus haud diu permisit. 3. 35; nec illis aut honorare eam caedem ius hominum aut ulcisci ratio belli permittebat. 3, 51; ita haud dubium erga Flavianas partes studium tam pavidus Vitellii discessus addidit 3, 59; repentina vis dictatorem Caesarem oppresserat. 3, 68; terret solitudo et tacentes loci. 3, 84.

Res poscere videtur. 4, 5; cf: ac forte parva res magnum ad certamen progressa praebuit iuveni materiam apiscendi favoris. III, 31; suffragia et existimationem senatus reperta, ut in cuiusque vitam famamque penetrarent. 4, 7; cui excidium adventabat. 4, 13; erumpentibus paullatim iudiciis. 4, 16; nec terrorem unius militis vincula indiderant. 4, 25; ubi sonus molientium aut adpositae scalae hostem in manus dederant. 4, 29; praecipuum pavorem intulit suspensum et nutans machinamentum. 4, 30; cum a Vespasiano commeatus subvenere 4, 52; sed nihil aeque quam incendium Capitolii, ut finem imperio adesse crederent, impulerat. 4, 54; detexit ignominiam campus et dies. 4, 62; aut disiecta (sedes) Ubios quoque dispersisset. 4, 63; moneant vos utriusque fortunae documenta. 4, 74; lacus .... neque pisces aut suetas aquis volucres patitur. 5, 6;

Sed urbem arduam situ opera molesque firmaverant. 5, 11; cf: ubi mons iuvisset. ibidem; sed arcebat latitudo camporum suopte ingenio humentium. 5, 14; eius proelii eventus utrumque ducem diversis animi motibus .... erexit. 5, 15; ceteros latebrae texere. I. 23;

prima Vari castra . . . trium legionum manus ostentabant. 1, 61; surgentibus iugis 1, 64; quanta Tiberii arte gravissimum exitium irrepserit. 1, 73;
Haud perinde Germanos vulnera, luctus, excidia quam ea species dolore et ira adfecit II, 19. Quamquam hic exstat alia causa, qua Tacitus commotus est, ut casus primos cum vi personarum poneret, quaeque maxime spectat ad latine scribendi rationem; sed pergamus: incerti fluctus prospectum adimere. II, 23; cf: quae venti et fluctus, nulla ducis culpa; gravia tamen et saeva damna intulissent. II, 26; ne vestis Serica viros foedaret. II, 33; facilem adsensum Gallo . . . . confessio et similitudo audientium dedit. II, 33; augebat intuentium visus eximia ipsius species currusque quinque liberis onustus. II, 41; neque solitum in tali casu effugium subveniebat. II, 47; sedisse immensos montes. II, 47; asperrima lues . . . plurimum in eosdem misericordiae traxit. ibid; adolescebat interea lex maiestatis. II, 50; ludos circenses eburna effigies praeiret. II, 83; Graecorum annalibus ignotus (Germanicus II, 88; ventris et ganeae paratus adsiduis sermonibus vulgati fecerant curam, ne . . . III, 52. Quin etiam multa adiectiva neutrius generis et pronomina personarum vices induerunt: multa simul exstimulabant. 1, 21; cf. 4, 26; mox cuncta erumpunt. 2, 13; cf. II, 57; multos secreta Poppaeae mathematicos . . . . habuerant. 1, 22;
Haec audita perpulere Tiberium. 1, 24; quia praesentia satis considerant. 1, 30; Nuntiata ea Tiberium laetitia curaque adfecere. 1, 52; quae gnara Vitellianis, incomperta hostibus metum fecerant. 3, 79; quod cuique obvium. 3, 80; cf. 4, 32: quae mox erupere; II, 27 quia tum primum reperta sunt, quae per tot annos rem publicam exedere; III, 33 inesse mulierum comitatui quae pacem luxu, bellum formidine morentur et Romanum agmen ad similitudinem barbari incessus convertant; cf. Cic. de orat. III, § 98: ea, quae sensus nostros impellunt. nihil prorupit 4, 55; cf. 1, 41; II, 65; III, 4.
Et est etiam enuntiatum ipsum pro persona positum: quaedam loca diligentius inlinunt terra ita pura ac splendente, ut picturam ac lineamenta colorum imitetur. Germ. 16.
Sed quid tota haec disquisitio? Ut scias apud Tacitum haud aliter atque apud aequales eius omnia fere substantiva cum genere activo construi; multa eiusmodi exempla etiam apud classicos, qui vocantur, inveniri satis est notum, ut et ipse pauca supra Ciceroniana exhibui, sedtamen te non effugiet ea tam passim apud illos non esse disseminata ac dispersa.
II. Sed veniamus iam ad alteram huius loci quaestionem, quae res adiectivis additis pro personis accipiantur: sed secedit animus in loca pura atque innocentia. Dial. 12; cf: consulatus innoxius 2, 60; nam lucrosae huius et sanguinantis eloquentiae usus recens. Dial. 12; cf. prodigae epulae 1, 62 et 2, 96; sumptuosa adolescentia 4, 49; pecuniosa senectus III, 55; insanum forum Dial 13; cf: stulta dissimulatio 3, 54; vaecors facundia 4, 68; libelli vaecordes II, 30; inconsultus pavor 2, 44; inconsulti impetus 3, 58; inconsulta ira 4, 29; praesaga responsa 2, 1; pallens fama Dial. 13; cf: pavidus discessus 3, 54; res trepida 3, 69; 4, 18; trepidae aures 1, 31; trepida urbs IV, 27; 1, 50; intrepida hiems Agr. 22; arda et iners structura Dial. 22; cf: tardum iter 1, 6; mare pigrum et grave Agr. 15;

Germ. 45; segne aut corruptm iter 2, 11; ignava pax 1, 62; ignavae volputates 2, 31. ignavum consilium 3, 41; ignavus questus ll, 71; stolida ambitio 1, 88; stolidae audaciae. 4, 15; Xl, 5; nascens nec satis adulta eloquentia Dial. 25; cf. adulta seditio 1, 31; fama senescens 2, 24; fessa aetas 1, 12; 3, 67; herbae laetiores Dial. 40; laeta praeda Agr. 38; finis Neronis laetus 1, 4; laetum augurium 1, 62; laeta exta 1, 4; laetum nuntium accipit 1, 70; 2, 54; l, 5; laetam adolescentiam agit 2, 1; quod laetum rei publicae aut atrox 2, 1; laeta principia belli 2, 11; laeta omnia 2, 80; quae laeta 2, 70; laetum . . . fuit, quod 2, 95; laeta ad praesens male parta 3, 6; laetum proelium 3, 18; laeti dies 3, 38; laeto vultu 4. 81; laetus cantus l, 65; laetae adfectiones lV, 15; benificia laeta lV, 18.

Probe scio laetum duplici significatione accipi posse et intransitiva — laetitiam adferens, nostrum erfreulich — sed cum sit difficile discernere, utro sensu singulis locis usurpatum sit, et in utraque significatione pariter insit translatio, iudicium eius rei, qui prudenter legit, ei commisi. prasagia laeta, tristia 1, 3; tristis mora 2, 60; tristia (subst.) 2, 64; tristis et impexa antiquitas Dial. 20; maesta fama 2, 46; maesta et funebris nox 3, 38; maesta omnia 3, 79; maesti loci l, 60; maesta vigilantia lll, 37; maestae urbis res lV, 32; misera laetitia 2, 45; minax vultus G. 30; minax frons 2, 14; minax silentium 3, 67; minax certamen 4, 6; minaces oculi 4, 43; nox minax l, 28; cantus trux 2, 22; trux vox 3, 3; trux oratio 4, 42; acies telis et armis trux 4, 46; castra trucia l, 44; trux sonor l, 65; XVl, 11; contumax fides 1, 3; preces contumaces ll, 57; pertinacia arma 3, 67; pertinacia odia 4. 43; fides obstinata 5, 5; pervicacibus magis et impotentibus mulierum iussis lll, 33; tormenta pervicacia lV, 29; constantibus exemplis XVl, 35; XV, 60; saeva cogitatio Agr. 9; saevae tempestates Agr. 22; opus saevum 1, 2; saeva pax 1, 50; saevum spectaculum 2, 88; saevissima vox 3, 39; saeva ac deformis urbe tota facies 3, 83; saevum mare 4, 52; imbribus continuis adeoque saevis l, 30; qnae — saeva vel prospera evenissent ll, 5; saeva damna ll, 26; saeva clamare lll, 23; saeva ventorum lV, 67; saevae percunctationes XV, 58; opus discors seditionibus 1, 2; discors aula ll, 43; provincia discors 1, 11; quid validum, quid aegrum fuerit in toto terrarum orbe 1, 4; bella impetu valida 2, 32; quidquid usquam aegrum foret 2. 86; naves validiores ll, 24; claudae naves ibid; praevalida orbitas lll, 25; invalidi ignes l, 65; suspiciones imbecillae ll, 76; provincia discors, inscia, ignara 1, 11; conscia Italia 2, 90; cf: inermes provinciae 1, 11; 1, 16; 2, 83; 3, 5; fida Capua 3, 57; infessa colonia 1, 51; rebellis colonia 4, 72; suspecta Germania 3, 35; inops iuventa 1, 66; fessa aetas 1, 12; innoxia aetas 3, 67; impudica senecta 1, 72; cautissima senectus 2, 17; hiantes cupiditates 1, 12; attoniti vultus 1, 40; insatiabiles oculi; aures aequae 1, 66; surdae aures 3, 67; superbae aures lV, 29; supplices manus 3, 10; supplici vultu 4, 2; blandae voces; 3, 67; infensae voces lll, 15; seditiosa colloquia 1, 53; forocia verborum 4, 71; praepropera; deprecatio 2, 76; avidum ingenium lll, 28; implacabili odio 4, 1; implacabilis motus l, 32 modesti sermones 2, 19; victa libertas 2, 38; obvia comitas ll, 2; ditissimum bellum 1, 51; inops requies l, 35; sterilis usus 1, 90; uberiora probra 2, 21; uberrima materia 2, 30; luxuriosi

apparatus 1, 88; tacitum foedus 1, 54; tacitum votum 2, 37; ambitiosum imperium 1, 83; 2, 12; ambitiosae preces 2, 49; loca secura 1, 86; securae opes 2, 38; socors custodia 3, 69; res tranquillae l, 3, audentiora spatia 2, 2; fortia consilia 3, 67; fortiora consilia IV, 8; prava certamina 2, 5; arma scelesta 2, 6; scelesta mandata ll, 71; fama flagitiosissima 2, 31; vita malefica IV, 21; modesto agmine 2, 20; modestum exemplum 2, 64; infesta militia 2, 36; infestae classes 2, 83; infestus ictus 3, 84; infestis mucronibus 3, 85; beatus sinus 3, 66; infelicia arma 4, 2; inhumana pars viae 2, 70; loci forma subdola 5, 14; subdola adfinitas l, 10; sobdola concordia ll, 64; subdola mora lll, 7; Libanum fidem nivibus 5, 6.

lll. Iam sequentur et enumerabuntur ii loci, ubi substantivo aliquo rebus inanimis vis, naturaque vel hominum vel animalium vindicatur atque assignatur Haec eloquentiae primordia, haec penetralia, hoc primum h a b i t u c u l t u que commoda [sic scribit Peterus, Haasius „commota".] mortalibus in illa casta et nullis contacta vitiis pectora influxit. Dial. 12; non esse unum eloquentiae vultum. Dial. 18; ea iam facies pugnae erat. Agr. 36; cf: faciem victoriae Agr. 38; facies belli 1, 85; facies consilii 2, 54; facies laborum 3, 30; saeva ac deformis urbe tota facies 3, 83; mixta belli externi civilisque belli facie 4, 22; eadem litori, mari, campis facies l, 70; cf: XlV, 8 et 10; l, 49; sed multa seditionis ora et voces l, 31; in oculis urbis 1, 37; quam (insulam) mare a fronte, Rhenus amnis tergum et latera circumluit 4, 12; corpus imperii 1, 16; laetitia orationis Dial. 20; ingenium loci coelique 1, 51; Neronianae aulae ingenium 2, 71; ingenium montis 2, 4; ingenio suopte camporum 5, 14; noctium ingenia XVl, 20; honesta suopte ingenio petuntur 3, 26; temporum discordia 1, 59; provinciarum animos; aggressus 1, 78; 2, 4; saevitia hiemis 1, 79; 4, 38; saevitia facti et invidia l, 44; saevitia annonae ll, 87; saevitia fortunae XlV, 63; motae urbis curae 1, 88; truculentia coeli ll, 24; avaritia, Claudianorum temporum 5, 12; eadem petulantia castrorum Agr. 17; aviditas fluminis 2, 93 negotii fides XVl, 2; eadem navibus perfidia 4, 16; Italiae consensum, Galliarum fidem extollit l, 34; consensus Italiae 3, 34; securitas Italiae 3. 53; coustantia vocis 2, 13; constantia morum 3, 86; contumacia sententiarum XVl, 22; imprudentia aetatis XVl, 30; vigor aetatis 2, 30; ferocia aetatis 4, 68; segnitia maris 3, 42; odia accusationum 4, 10; — mea quidem sententia est accusationum genetivus subiectivus —. adulatione temporum 4, 40. militia sine affectu 4, 31. educatio eloquentiae Dial. 30; flagitia militiae l, 27; ciborum egestas l, 68; simulacra libertatis l, 77; fetus segetum et autumni 5, 7; Massiliam habebat magistram Agr. 4; praeturae silentium Agr. 6; magni metus et magnae irae silentium 1, 30; impetus famae Agr. 39; eloquentia alumna licentiae, comes seditionum Dial. 40; — cf. Cic. Brut. 12, 45; — testis illa nox l, 58; belli minae 4, 22; ignota illi coelo siccitas 4, 26; velocitas occasionum 1, 83; fit temeritatis alienae comes Spurinna 2, 18; in u r b e a c s i n u = in urbis sinu 3, 38; non tam vocis ille quam virtutis concentus videtur Germ. 3; spiramenta temporum Agr. 44.

Haec habui, quae de ea ratione dicerem, qua Tacitus rebus inanimis vim naturamque vel animalium vel hominum attribuit; neque meum fuit omnes eiusmodi locos enumerare, sed sufficere et sapienti sat esse putavi quasi digito rem monetravisse. Dicet fortasse quispiam: quid?

tu enumerasti multa exempla, quae nihil habent novi, quae inveniuntur pariter apud Ciceronem Caesarem, Livium, Sallustium. Concedo, sed hoc mihi des, velim: ut, quale sit genus dicendi scriptoris cuiusdam, recte diiudices, non solum tibi est perquirendum, quid illud sit, cur nova inauditaque tibi videatur eius oratio, sed etiam quibus adminiculis nisus, quibus causis, quibus denique suae aetatis animi motibus ductus ab usitata ac vulgari dicendi ratione recessserit. Quare a re mea non alienum esse putavi compluria quoque exempla in medium proferre, quae eadem scripta videmus apud scriptores aureae, quae vocatur, latinitatis. Neque me effugit, rem aliter disponi potuisse, multaque exempla alio loco ponenda fuisse ad aliasque translationum rationes generaque pertinere, sed me pertaesum est usitatam troporum dispositionem partitionemque sequi, ut digererem locos per ordines metonymiae (μετωνυμίας), synecdoches (συνεκδοχῆς), per ea quae vulgo enumerantur translationum genera, quorum ut definitio vaga et fluxa est — hoc omnes fere, qui de ea re altius acriusque aliquid cogitaverunt sapieruntque, concedunt — ita singula exempla alia in aliud genus influunt et miscentur. Tentavi genus dicendi Taciteum uno quodammodo obtutu complecti et discipulis, qui mihi in hac disquisitione potissimum ante mentis oculos semper versantur, perpaucis lineamentis depingere; viri doctissimi illustrissimique ipsi rem perspicient facileque intelligent, ad quod troporum genus singula quaeque exempla sint referenda.

**B.** Sed iam ad alterum quem mihi proposui locum transeamus et perquiramus, quae substantiva abstracta Tacitus ita usurpaverit, quasi essent concreta. Quam rem ita tractabo, ut primum eos locos exhibeam, ubi abstracta sunt obiecta verborum movendi, portandi, ferendi; tum afferam exempla, in quibus abstractum copulatum est cum concreto, ut figura zeugma quod gramatici vocant in iis esse videatur; denique proponam locos, ex quibus elucet rem cogitatione sola perceptam Tacito esse rem mere solidam ac concretam.

§ 1. Abstracta, quae sunt obiecta verborum ponendi, movendi, accipiendi, portandi, similium: iram posuere Agr. 20; clamorem adicere Agr. 26; incolumitas ac decus eodem loco sita sunt Agr. 33; terrorem inferre Agr. 36; reponere odium Agr. 39; opinionem addere Agr. 40; valetudini assidere Agr. 45; recipit satisfactionem universa domus Germ. 21; lamenta ac lacrimas cito, dolorem et tristitiam tarde ponunt Germ. 27; civitas tulit valentiorem eloquentiam Dial. 40; relicta post Alpes saevitia ac licentia 2, 20; reddita securitate 2, 21; amisso tubae sono 22, 9; condito odio 2, 30; in novam familiam imperium intulisse 2, 48; preces tulit 2, 51; advecto cultu 2, 71; laetitiam et gratulationem vultu ferens 2, 65; demere sollicitudinem 2, 68; clementiam et gloriam ferre 3, 19; vim victoriamque ferre 3, 20; primo ingerebant probra, intentabant ictus 3, 31; indignatione composita 3, 37; dolorem praeferebant 3, 37; preces et lacrimas afferre 3, 38; fidem afferre 3, 41; culpam conferre in aliquem 3, 53; cf. 3, 70; litterae addidere alacritatem 4, 3; labor additus 4, 23; servitutem imponere 4, 73; qui fugam animis, qui vulnera tergo ferant 5, 16; preces et minas intericere l, 23; census accipere l, 33; ingerunt contumelias l, 39; clementiam offere ll, 42; incendia, caedes, terrorem circumferre ll, 52; transferre in aliquem invidiam criminis ll, 65; pro gratia odium redditur lV, 18; caedem ducis bellique confecti gloriam deportabat — quasi plaustris onerariis — lV, 26.

§ 2. Exempla, in quibus copulatum est abstractum cum concreto: in huius sinu indulgentiaque educatus Agr, 4; finem Britanniae non fama nec rumore sed castris et armis tenemus. Agr. 34; cibos et hortamina gestant Germ. 7; Germania — a Sarmatis Dacisque mutuo metu aut montibus separatur Germ. 1; cum terrore et armatorum catervis volitabant 2, 88; nuntios famamque misere 3, 35; quae (fortuna) Mucianum viresque Orientis illuc tulit 3, 46; audacia aut insignibus effulgens 4, 29; sibi non tributa sed virtutem et viros indui 5, 25; se et domum et pacem sustentabit I, 4; fasces et ius praetoris invadere I, 10; hinc (denis assibus) vestem, arma, tentoria, hinc saevitiam centurionum et vacationes redimi I, 17; cum voces, cum manus intentarent III, 36; dum aequalis, dein superiores postremo suasmet ipse spes anteire parat III, 66.



